

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0909

0907

0913

0903

0918

0898

0958

0858

1008

0808

0408

Ende

Anfang

336

Aegypti. Fuerat quippe castrum magnum cum altis turribus,
Rama dictum. Et de hoc creditur illud Jeremiae cap. 31. et
Matthaei c. 2. esse scriptum: Vox in Rama audit a est plora-
tus et ululatus. Dum enim Herodes occideret pueros in Beth-
leem et in confinibus ejus, ploratus puerorum et ululatus matrum
audiri potuerat in hac Rama. Unde Jeronymus de distantiis
locorum dicit: Rama est locus prope Bethleem, de quo dicitur:
vox in Rama.

In circumferentia murorum tantum spatium terrae fuit,
quod frumentum sufficiens in ea crevit pro pane inhabitantium
castrum per annum. Hoc castrum munivit unus de latinis re-
gibus Jerusalem. Unde, postquam Saladinus, rex Aegypti,
cepit vi armorum terram sanctam et Jerusalem et Christianos
ex omnibus finibus ejus expulit latinos, et castra reliqua, vil-
las et civitates expugnavit: hoc castrum Rama nequaquam
habere potuit, sed Christianis viriliter repugnantibus ab eo dis-
cessit, et manserunt Christiani latini in castro post expugna-
tionem Jerusalem et Bethleem ultra XXX annos, nec poterant
eos Sarraceni expellere, et adhuc hodie manerent, si Deus cum
eis non pugnasset. Nam post XXX annos immisit Deus pe-
stilentiam in castrum, et in brevi temporis spatio obierunt om-
nes foeminae, a juvencula usque ad anum, et major pars vi-
rorum. Quod cernentes reliqui castrum deseruerunt et fugam
inierunt. Hoc cum Sarraceni perceperissent, adscenderunt in
montem et castrum usque ad solum diripuerunt, ita, quod vix
murorum vestigia modo deprehendi possunt. Propter inexpug-
nabilitatem illius castri nominabant illud Christiani Bethuliam,
sicut castellum Judith Bethulia, quod erat in Galilaea.

Inde ab illo monte conjectis oculis ad alium montem op-
positum vidimus quoddam vetustum aedificium, juxta quod est
sepultura XII prophetarum minorum.

Infra eundem montem fuit olim monasterium S. Agathon,
abbatis, qui vir magnae autoritatis fuit et pater multorum mo-
nachorum exstitit et ob amorem silentii triennio lapidem in
ore portavit, ut de eo resertur in vitis patrum.

Insuper in eadem regione fuit monasterium S. Karioth,
abbatis, patris multorum monachorum, quo de hoc saeculo

